



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. S. Spiridonis patiens humilitas honorata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

His tantis periculis caret, quisquis honoribus patienter caret. Quare beneficij loco est habendum, si quis sit à periculis immunis. Quid quòd ipse despectus honorum, atque etiam iniuriarum patientia multis est via ad honorem? S. Spiridonis ad Constantium Imperatorem euocati vilissimus erat habitus, Toga detrita & decòtis. Pro cingulo funis. Vas fictile pependit è collo. In manu, loco hastæ, aut spiculi, virgam ex palma tenebat. Incompendio dicam, à vertice vsque ad calcem contempti hominis speciem præ se ferebat. Talis regiam ingrediebatur. Quod vbi vidit colax quidam, quo hominum genere plenæ solent esse aulae, indignum ratus, vt homo tam abiecta specie intraret in palatium Imperatoris, non veritus est sacræ eius maxillæ colaphum infringere, quo longè lateque exsonante, affatim riserunt, qui audierant, aut viderant. At quid sanctissimus vir tantâ contumeliâ affectus fecit? Christi doctrinam secutus, non modò tulit eam, iniuriam patienter, verùm etiam genarum alteram, prompto patienti animo exhibuit percussori. Quasi repercussisset verberantem, ita erubuit alter. Nam tantæ patientiæ modestia insolentem illum tanto pudore affectit, vt repentè ei supplex fieret, atque subitæ inconsideratæque suæ audaciæ veniam flagitaret. Quam quidem Sanctus ille libens concessit; sed hominem paternè instruxit, vt posthac ab inferendis iniurijs se se contineret. Eo tam generoso facto spectantes in stuporem dedit, adeò, vt qui antea illum clarissimè sonantibus cachinnis exceperant, iam de virtute admirarentur. Itaque à viris principibus magno in honore habebatur, qui eum summa cum reuerentia ad Imperatorem deduxerunt. Si impatiens fuisset, si honorem suum defendisset, si de iniuria sibi facta expoſtulasset, si colaphum colapho reposuisset; nemo illum ad Imperatorem, sed ad carcerem duxisset. Irritati enim crabrones crudeliùs sæuiunt. Irritatus fuisset Spiridon quoque, si de genere crabronum fuisset: nunc igitur in ipsa contumelia perferenda apparuit, non contumelia eum, sed gloria dignum extitisse.

Infertur sanè sæpenumero grauis iniuria, & atrox plaga viris præstantissimis, si eis, ob egregias animi ingenijque dotes debitus honor, debita laus, debitum officium negetur, vel adimatur; vt is illud habeat, qui blanditijs, calumnijs in alios excogitatis, adula-

V.

Surtus 24.
Decemb.

Matth. 5. 39.

VI.